

Franckesche Stiftungen zu Halle

Programma De Blasphemia In Spiritum Sanctum, Ad Ferias Pentecostales, Digne Celebrandas Propositum A Rectore Et Senatu Academiae Regiomontanæ

Schultz, Franz Albert

Regiomonti, [1737?]

VD18 13310550

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-193188



52 K 6

PROGRAMMA
DE
BLASPHEMIA
IN
SPIRITUM SANCTUM,
AD
FERIAS PENTECOSTALES,
DIGNE CELEBRANDAS
PROPOSITUM

A
RECTORE ET SENATU
ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

ANNO



MDCCXXXVII.

REGIOMONTI LITTERIS REUSNERIANIS.

21.
~~271~~



U T Spiritus Sanctus ille est, qui sua operatione id efficere debet, ut quae Patri ascribitur creatio, & quae filio tribuitur redemptio, nobis proficuae fiant & salutare: ita nobis nihil prius nihilque sit antiquius, quam ut hunc Spiritum nobis habeamus propitium, & cura id agamus omni, ut ne peccatis a nobis illum avertamus. Ad quod, cum non parum excitare nos possit, quando, quam acerrimus in omnes huic Sancto Spiritui illatas injurias DEUS sit vindex; injuria autem atrocissima in illum sit blasphemia: hinc paucis, quantum praesens fert propositum, de blasphemia agemus in Spiritum Sanctum, & id quidem secundum ipsa Filii DEI & ipsius Spiritus oracula, quae habemus in Evangelistis,

Matth. Cap. XII. v. 31. 32.

Δια τούτο λέγω ὑμῖν πάντα ἃ ἐρεῖ λόγον εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ ὅτε ἐν τῷ αἰῶνι μέλλουσι.

Propterea dico vobis: omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; Spiritus vero blasphemia non remittetur hominibus,

Marc. III. 28. 29. 30.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πάντα ἃ ἐρεῖ λόγον εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ ὅτε ἐν τῷ αἰῶνι μέλλουσι.

Amen dico vobis, quod omnia remittentur peccata, filiis hominum, & blasphemia quibuscunque blasphemaverint. Quis-

Luc. XII. 10.

καὶ πᾶς ὃς ἐρεῖ λόγον εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ ὅτε ἐν τῷ αἰῶνι μέλλουσι.

Omnis etiam qui dixerit verbum, contra filium hominis, re-

Imo si quis dixerit verbum
contra filium hominis, re-
mittetur illi: qui vero di-
xerit contra Spiritum San-
ctum non remittetur illi,
neque in hoc seculo, neque
in futuro.

quis autem blasphemave-
rit in Spiritum S, non
habebit remissionem in
aeternum, sed reus erit
aeterni judicii. Quia di-
xerant: Spiritum immun-
dum habet.

mittetur illi:
ei vero, qui
in Spiritum S.
blasphemave-
rit, non re-
mittetur.

§. II.

Primo loco disquirendum est, quid Servator noster
per peccatum in Spiritum Sanctum intelligat, cujus reos
in oraculis his exhibitis pronunciat Phariseos.

Sicuti ad comprobendam missionem suam caelitus
factam Servator multa ac fere innumera alia edebat mira-
cula: ita quoque ejiciebat daemonem malignum. Quare,
quum populus adstans hoc miraculum intueretur, non
poterat non ad idem obstupescere & profiteri, quod
omnino JESUS hic Nazareus filius esset Davidis, seu verus
Messias olim a DEO promissus.

Pharisei, qui iidem miraculum hoc coram intue-
bantur, & audiebant populum haec pronunciantem, fre-
mentes dicebant: non alia vi, nisi Spiritus maligni prin-
cipis Spirituum malignorum, ejicit daemones.

Quod cum JESUS exaudiret, primo loco demonstra-
bat, quod fieri ratione posset nulla, ut ejiciatur daemon
malignus per alium malignum; siquidem hac ratione dia-
boli diabolis adversarentur & inter se pugnarent; * quod

A 2

quan-

* Vox enim ἐκβάλλειν, qua hic utuntur & Pharisei & Christus,
proprie significat invitum expellere, & hoc sensu adhibetur
saepius cum in sacris e. g. Gen. III. 24. ἐξέβαλε τὸν ἄδამ.
Marc. V. 40. ἐκβαλὼν ἅπαντας. Joh. II. 15. πάντας ἐξέβα-
λεν. Act. IX. 40. Luc. XIII. 28, &c; tum in profanis, PLU-
TARCHO, DEMOSTHENE, ISOCRATE, quorum exempla
vide in STEPHANI *Thesaur.*

quantopere absit: id tum experientia loqueretur, quippe, si ita discordes inter se essent diaboli & alius alium invitum debellaret, jam olim regnum diabolicum corruisset; quod autem experientia teste adhuc dum firmissimo staret talo; tum idem quoque pugnaret cum legibus, ut omnis, ita quoque societatis & civitatis diabolicae, quae illud non ferrent, ut alius alium debellaret invitum.

Post haec addit aliud ad illos redarguendos argumentum, demonstrans, quod suis, quae in miracula Christi eructabant, conviciis, essent injuriosi in omnem miraculosam daemonum ejectionem; siquidem, si in casu praesenti daemon per daemone[m] ejectus esset, idem etiam pronunciari posset de reliquis id genus miraculis omnibus; paucis, a daemonibus, Servator concludit, daemones ejici & miracula patrari posse, aut minus: si illud, neque Judaeorum religio fundamentis niteretur firmis; siquidem miracula, quibus firmata esset, a daemonibus proficisci possent ex ipsa ipsorummet sententia; aut quam hoc asserere non auderent, necesse haberent adfirmare, quod a daemonibus daemones ejici & miracula patrari non possent, sed haec semper & necessario divinam arguerent virtutem & Spiritum DEI praesentem; & haec ratione impie & maligne agerent, quod miracula a Christo perpetrata divinae virtuti adscribere recusarent, & potius maligno cuidam Spiritui tribuerent.

Quae postquam ita proposuerat Christus, pergit: *dicite vobis, blasphemia in Spiritum Sanctum non remittetur hominibus;* adeoque eos peccati in Spiritum Sanctum reos pronunciat, ideo, quia opera, quae ex sua illorummet sententia, si fateri vellent, quod sentirent, non ab alio, nisi a virtute divina. * Spirituque divino proficisci poterant, huic tamen

* Proinde quoque qui sequenti tempore religionem Christianam im-

ramen non adscribebant, sed potius Spiritui maligno : & idem expressis verbis innuit quoque Marcus Evangelista Cap. III, 30. qui ideo in Spiritum Sanctum Phariseos peccasse pronunciat, quoniam peccabant in opus Spiritus Sancti, quod tum erat ejectio daemonum.

Quae qui rite perpendit, facile cernet, hoc nomine pronunciasse Christum, Phariseos peccasse in Spiritum Sanctum, quoniam injurii erant in miracula, quae operabatur Spiritus Sanctus.**

Verum enim vero, quum non solum miracula operetur Spiritus Sanctus, sed aliae quoque ejus sint operationes, non minus illustres atque conspicuae : hinc patet, quod non minus peccetur in Spiritum Sanctum, quando in alias ejus operationes injurii sumus, quam si in miracula ab ipso patrata peccamus. Quare per alia etiam peccata cum contristari, ad iram provocari, ei resisti ; adeoque in illum peccari Sacra Scriptura asserit Eph. IV, 30. Act. VII, 51. & alibi.

Peccare, proinde, in genere tum dicimur in Spiritum Sanctum, quando peccamus in ejus operationes.

§. III.

Probe autem notandum venit, quod Christus, quando de eo peccato in Spiritum Sanctum loquitur, quod ad eo grave est, ut venia ejus nulla sit expectanda, non hoc

A 3

pro-

impugnarunt Judaei, Christi miracula nequaquam daemone tribuere ausi, quippe certi, daemone ea non potuisse patrare, ad surreptum a Christo nomen ineffabile confugiunt.

** Miracula in Sacra Scriptura Spiritui Sancto adscribi permulta loca loquuntur. Quid? quod miracula, Spiritus sanctus dicuntur; quoniam ab illo proveniunt. Non autem opus fuit istis adducendis locis, quoniam aliam viam ingressi sumus, ad demonstrandum, quod ideo Servator reos pronunciet Phariseos peccati in Spiritum Sanctum, quoniam peccabant in miracula virtute ejus edita.

pronunciet de quolibet peccato in Spiritum Sanctum: sed de *blasphemia* in Spiritum Sanctum, seu quod idem est, quando non modo simpliciter peccatur in ejus operationes, sed quando eadem conviciis & contumelia proscinduntur.

Id quod, ut eo rectius intelligatur, juvabit, gradus peccatorum, quantum ad scopum praesentem satis est, explicatius tradere.

Potest quis experiri motus Spiritus Sancti ad opus aliquod agendum aut omittendum; & nihilo tamen fecius, quo minus illos sequatur, negligere, aut illis non fideliter uti, quoniam patitur se abripi aut per negotia hujus vitae, aut per cupiditates, quibus inhiat, hujus mundi. Tales sunt, quos redarguit Christus Matth. XIII, 22. quem, quantum peccatum ipsum respicis, infimum gradum dixeris peccati in Spiritum Sanctum. Et hi sunt, qui ex *negligentia*, quamvis non raro supina, contra operationes Spiritus Sancti peccant. Potest praeterea quis itidem efficacissime persentiscere motus Spiritus Sancti, & tum, quando aliquid aut agendum aut omittendum venit, eorum stimulum intra se experiri; & tamen non solum illos negligere, sed illis etiam reniti. In hunc modum peccarunt illi, quorum mentionem injicit Sacra Scriptura Act. VII. 51. Hic secundus gradus hujus peccati dici poterit, & qui ita peccant, ex *renitentia* peccare dicendi sunt. Potest denique aliquis eosdem motus persentire & non solum eos negligere aut iis reniti ipse; verum insuper aliis, quo minus credant aut sequantur, auctor existere, immo & calumniari & conviciis operationes Spiritus Sancti & veritates ab illo traditas laceffere. Hoc nomine peccarunt Pharisei in oraculis a nobis exhibitis; & hunc quidem supremum gradum hujus peccati dixeris: siquidem qui talis peccat, nihil habet, quo vehementius veritati se infestum esse

esse declarare possit. Hic non solum peccat negligendo aut omittendo, ut qui in primo; non solum renitendo pro se & sua persona, ut qui in secundo gradu constitutus est; sed etiam avertendo alios, & contumelia conspergendo veritatem, adeoque *impugnando*, quo nihil pejus excogitari potest.

§. IV.

Verum, quum fieri possit, ut non solum peccetur in operationes Spiritus Sancti, quod (§. 2.) indicatum; sed etiam eadem conviciis laceffantur, ut (§. 3.) dictum; interea tamen blasphemiae venia impetrari possit; id quod vel solo exemplo Pauli Apostoli docemur 1. Tim. I. 13. sq. De blasphemia autem in Spiritum Sanctum, de qua textus noster loquitur, Servator noster pronunciet, quod nullam impetratura sit veniam: inde patet, quod ultra illud, quod quis contra operationes Spiritus Sancti peccat, easdemque conviciis laceffit, adhuc aliud quid accedere debeat, ut illa blasphemia exsurgat, quae peculiari sensu **BLASPHEMIA IN SPIRITUM SANCTUM & IRREMISSIBILIS** dicitur. Quodnam autem illud sit, hoc itidem exemplo Pharisaeorum docemur. Scilicet & de facto, quod ejectio illa daemonis non ex alia quam divina virtute profecta esset; & de jure, quod veritas illa caelitus comprobata, omnino omni DEO digna reverentia esset suscipienda, convicti erant, conf. Act. IV. 13 -- 17, adeoque non ex ignorantia & ignorantes, nec cum scientia & scientes, sed *contra scientiam & conscientiam* blasphemiam illam eructabant. Et cum in hunc modum peccarent, illos Christus ejus blasphemiae in Spiritum Sanctum reos pronuntiabat; quam nulla maneret venia.

§. V.

Quumque denique nemo gratis malus sit: hinc necesse erat, ut habuerint rationem, quare aliter pronunciant

rent

rent de miraculo a Christo edito, quam quidem intra se sentiebant. Haec autem illius ratio erat, quod timebant interitum suae & utilitatis & auctoritatis apud multitudinem, si Christus ut verus Propheta & Messias susciperetur a populo. Et hic, proinde, aut novus blasphemiae hujus in Spiritum Sanctum character est, aut saltem consequens characteris illius prioris.

§. VI.

Quando itaque, quae §phis praecedentibus dicta sunt, ut par est, expendantur, tres blasphemiae illius in Spiritum Sanctum, quam irremissibilem Christus pronunciat, characteres deprehendimus. Primus quidem, ut contra operationes Spiritus Sancti peccetur; secundus, ut in illas non qualicumque modo, sed contumelia, conviciis aut blasphemia peccetur; tertius denique, ut contra scientiam & conscientiam & juris & facti id fiat; & si quartum addere lubet; ut hoc fiat ob proprium commodum & id genus alia. Quae qui rite observarit, simul deprehendet, in hac blasphemia contra Spiritum Sanctum, summum ubique peccati gradum obtinere: sive objectum respicias, contra quod peccatur; quippe quod sunt operationes & virtutes DEI & Spiritus Sancti: sive modum respicias, quo peccatur; qui est contumelia & blasphemia: sive denique circumstantiam sive animi malignitatem; siquidem qui ita peccat, contra scientiam & conscientiam peccat. Et inde etiam jam statuere licet de peccati hujus gravitate. Juvabit haec distinctius & explicatius §pho sequenti tradere.

§. VII.

Haec scilicet blasphemia in Spiritum Sanctum gravissimum peccatum est, quia contra objectum peccatur maxime eminentissimum & beneficentissimum & maxime proficuum. Potest aliquis contra objectum minus nobile & minus in se bene-

beneficium peccare, qui ideo illud non audet in eminentissimum & beneficentissimum. Verum, quando quis peccat in operationes Spiritus Sancti, tum peccat contra DEum, qui est eminentissimus, & contra ejus operationes illas, quae adeo proficuae sunt & salutiferae, ut reliqua beneficia omnia, quae a DEO proficiscuntur, homini per has modo salutaria fiant; quid enim nos juvabunt creatio & conservatio? quid ipsa redemptio? nisi accedant Spiritus Sanctissimi operationes, poenitentiam & fidem gignentes. Hinc qui peccat in operationes Spiritus Sancti, contra objectum peccat ut eminentissimum, ita maxime salutiferum. Et hinc gravius est hoc peccatum, quam quidem peccatum in Patrem & Filium; quicquid etiam sit, quod per peccatum in Patrem & Filium intelligatur.

Gravissimum haec blasphemia est peccatum propter modum peccandi. Potest aliquis negligere operationes Spiritus Sancti, & omittere, quo minus iisdem fideliter & digne utatur, qui ideo tamen non audet, illis directe intra se reniti & eas repellere; quemadmodum David negligenter tractabat DEum, & illum aspernabatur, interea illum non repellebat & abiciebat, atque quidem Saul faciebat. 1. Sam. XV. c. XVI. Potest quis DEum aspernari atque repellere, qui ideo illum non impugnat, & blasphemia prosequitur; ast! quando quis blasphemia prosequitur Spiritum Sanctum & ejus operationes, ille easdem impugnat, & si penes illum esset, e medio hominum illas tolleret; & sicuti dubio procul magis hostilem animum prodit, qui alium impugnat & adgreditur, quam qui ab alio se defendit: ita omnino, & respectu modi, blasphemia in Spiritum Sanctum peccatum est summum.

Gravissimum denique haec blasphemia est peccatum, quoniam contra scientiam juris & facti & contra conscientiam peccatur. Potest quis contra summum obje-

B

ctum

Etum, & summo, ut diximus, modo peccare: sed inscius esse juris, aut facti, aut utriusque simul; qui, si quando illa scivisset, & eo tempore, quando peccavit, eorum praesens recordatus fuisset, non peccasset. Ita Paulus pronunciat de multis Judaeorum & principum inter illos, quod Dominum gloriae cruci quidem affixissent: sed hoc ideo, quia illum non cognovissent, si quidem si illum cognovissent, illum non morte & ignominia affecissent; quare illis venia etiam offerrebat. 1. Cor. II. 8. Act. III. 15. 17. Itidem Paulus pronunciat de se ipso, quod quidem contra summum objectum & summo modo peccasset, Christum persequendo, blasphemando: sed quod inscius haec fecisset, tantum abest, ut contra scientiam & conscientiam haec fecisset; quare asserit quoque, quod veniae locum invenit. 1. Tim. I. 3. sq. Verum enim vero, qui hanc blasphemiam in Spiritum Sanctum committit, de qua Christus loquitur: is contra scientiam & conscientiam agit; hinc nullus gradus superest, quem conscendere sua malitia posset; adeoque secundum respectum omnem & objecti & modi & circumstantiae gravissime peccat.

§. VIII.

Posteaquam jam actum est de peccato hoc in Spiritum Sanctum & de ejus gravitate: nunc dispiciemus, quid sit, quod Christus pronunciet, & quare pronunciet, veniae post peccatum hoc perpetratum locum non esse. Verba Servatoris nostri sunt: *ἐν ἀφεσίταις κ. τ. λ.* Lucem haec verba accipiunt ex sententia Judaeorum de gradibus & remissione peccatorum. Scilicet statuebant illi, aliqua per solam poenitentiam abstergi peccata; alia praeter poenitentiam opus habere sacrificii; alia adeo gravia esse, ut non nisi die expiationis remitti possint; alia adhuc gravio-
ra

ra sola morte delenda. * Imo haec stabat Judaeis sententia quod nullum tam grave esset peccatum, ob quod Judaeus aeternum esset damnandus; adeoque leviorum peccatorum ante mortem, graviorum, & gravissimorum in morte & post mortem illorum veniam accepturos.

Quando itaque JESUS hoc peccatum veniam nullam neque in hoc neque in futuro seculo impetraturum esse affirmat, non eo tendit, quasi peccatorum quorundam post mortem demum venia sit expectanda; de quo, quod falsum

B 2

fit,

* Insigne hujus rei testimonium est, quod in *Horis Hebraicis* ad h. l. protulit LIGTHFOOTUS ex Hieros. Sanhedr. fol. 37. 3. & Babil. Joma fol. 86. l. *Qui praeceptum affirmativum transgreditur, si confestim eum poeniteat, non movetur, usque dum ignoscat illi dominus; & de istiusmodi dicitur: Convertimini, o filii averfi, atque ego aversionibus vestris medebor. Qui praeceptum negativum transgreditur, & poenitentiam agit; poenitentia ejus suspendit judicium, & dies expiationis expiat, sicut dicitur: Hodie expiabitur vobis de omnibus immunditiis vestris. Qui transgreditur usque ad excisionem (per plagam DEI) aut ad mortem per Synedrium, poenitentiam agit; poenitentia & dies expiationis suspendunt judicium, & plagae inflictae detergunt peccatum, sicuti dicitur: Et visitabo virga transgressionem eorum atque eorum iniquitatem plagis. Ast, a quo PROFANATUR (vel BLASPHEMATUR) nomen DEI: ei non valet poenitentia ad suspendendum judicium, nec dies expiationis ad expiandum, nec plagae (vel castigationes inflictae) ad abstergendum; sed omnes suspendunt judicium, & mors abstergit. Sic Gemara Babylonica. At Hierosolymitana sic: Poenitentia & dies expiationis expiant quoad tertiam partem; & castigationes quoad tertiam; & mors abstergit, sicuti dicitur: Et non expiabitur vobis de hac iniquitate, usque dum moriamini. Ecce, discimus, quod mors abstergit; Addit LIGTHFOOTUS: Nota hoc, cui contraciatur Christus de blasphemia in Sp. S. Non remittetur, inquit, in hoc seculo, neque in futuro; i. e. neque ante mortem, neque, quod vos somniatis, per mortem.*

fit, aliunde ex S. Scriptura constat: sed Phariseorum respiciens & sententiam & formulam, innuere voluit, gravitatem hujus peccati ita enormem esse, ut omnia peccata supergrederetur sua gravitate, & illa quoque, quae gravissima apud Judaeos censebantur, & nullo modo veniam ejus esse exspectandam; quod, pro sententia apud se recepta, Pharisei praesentes, conscii sibi quod omnino injurii essent in Christum, secus sibi persuadebant & sperabant. Quare Matth. XII. 25, Christus dicitur cogitationes illorum introspectisse, cum illa verba contra illos pronunciaret. Distinctius haec Evangelista Marcus tradit, dum pronunciat, hoc peccatum nunquam veniam esse impetraturum. Simpliciter adeo his verbis negat, hujus peccati, quando perpetratum est, veniam esse exspectandam; neque facile patet, quibus verbis expressius mentem suam de irremissibilitate, simpliciter & absolute tali, peccati cujusdam Christus aliter exponere potuisset; ideo, undecunque etiam Servator formulam illam desumserit, & quicquid sit, quod respexerit, sensus tamen est: quod hoc, & hujus generis peccatum, nunquam sit remittendum, quin potius culpa ejus & poena ferenda sit in aeternum.

§. IX.

Quae cum ita sint; jam disquirendum, quare Servator hoc peccatum, pro reliquis, pronunciet irremissibile.

Quod ut appareat, primo loco tenendum est, quod Servator noster, omnium peccatorum omnia peccata expiaverit quidem suo sanguine, ita ut, quantum ad valorem sanguinis Christi respicimus, deleri possint omnia; notum quoque habemus, quod DEUS Pater paratissimus sit, ad veniam indulgendam omnibus; neque enim injustus est, ut, quod Christus pro omnibus sanguine suo peperit, alicui simpliciter denegare possit, aut velit. Interea, & hoc S. Scriptura affirmat, quod a Patre nemo ob meritum Christi veniam

nam

niam peccatorum quorundam impetrare possit, nisi doleat de peccatis peractis; suplex ad Christum fide accedat; & ita denique ad meliorem frugem redire, paratum se exhibeat.

Verum, quae sunt ista, quae ad hanc mentis mutationem reducere possunt illum? qui hanc blasphemiam in Spiritum Sanctum committit, & eidem se devover. Fortasse resipiscet, quando ad cognitionem juris aut facti perveniet? Sed ejus nulla spes est, siquidem, ex hypothese, talis peccator contra plenam hanc scientiam & conscientiam peccavit. Quod si scientia & conscientia aliquid valerent apud talem & possent; eum coercuissent, quo minus in hunc modum peccasset. Quod cum non factum sit: neque eum ad poenitentiam perducent. Quando quis ex ignorantia peccat; tum peccati illum poenitet, tantum quod intelligit se peccasse; quando quis affectibus vehementioribus abreptus peccat; ille dolet de peccato, tantum quod affectus sedati sunt. Quoties autem quis peccat contra scientiam & conscientiam, tum a priori cognoscitur, quod scientia & conscientia in illo nihil valeant, adeoque illum ad resipiscentiam reducturae non sint. Et haec quidem ratio est, quare diabolos jam non poeniteat, nec illos poenitere rationabiliter possit facinorum suorum; quia, quicquid peccant, contra scientiam peccant. Sciunt jus; sciunt factum, & cognitum illud habent secundum omnem respectum: & nihilo tamen minus peccant. Inde in liquido est, quod nihil sit, quo rationabiliter ad resipiscentiam, proinde ad meliorem frugem, reduci possint. Redire adeoque ad resipiscentiam rationabiliter nequeunt tales peccatores, qui contra summum objectum; gravissimo modo; & contra scientiam & conscientiam peccant.

Et eadem quoque ratio est fidei, eademque obedientiae & vitae emendandae propositi.

Ast, fortasse gratia DEI extraordinaria & miraculosa id efficere potest? Et hic quidem sciendum: nullum de potentia divina dubium esse; potest DEUS omnia, quae non implicat; potest itaque, si vires DEI respicis, omnino & id praestare, ut talis peccator ad aliam & meliorem redeat mentem; posset, si absolute ageret & diabolos ipsos praestare meliores. Sed non de eo quaeritur; quid DEUS possit, sed quid velit.

Vult DEUS & serio quidem vult, ut bonum in genere omne, ita etiam, ut poenitentiam agant maxime malitiosi; sed vult id iustitiae suae & sanctitati convenienter. Legem iustitiae divinae ipse exhibet Servator Matth. XXV, 29. c. XIII, 10-13. & alibi,

Qui bene acceptis utitur, ei novam & majorem gratiam indulget DEUS. Verum, qui hoc peccatum peccat in Spiritum S.: is malitiae limites supergreditur; saltem gradus ejus summos conscendit, quemadmodum superius dictum est.

Quod si, proinde, DEUS tali peccatori gratiam, eamque extraordinariam & miraculosam indulgeret ad conversionem: tum sane perspicere nequiret, cui vel quantillum gratiae ex iustitia sua denegare posset; quam tamen nonnullis denegandam esse Christus aperte pronuntiat I c.

Et quodnam est illud, quod his omnibus conficitur? respondemus: quod nulla spes superfit, siue ordinaria media gratiae, siue extraordinaria respicias, hominem, qui hunc malitiae gradum conscendit, convertendum esse. Ubi autem nulla resipiscentia, nulla fides, nulla cordis & vitae emendatio; paucis, ubi nulla conversio: ibi nulla venia a Patre ob Christum.

Vide! quam desperata causa sit ejus, qui semel huic peccato animum devovit. Sicut parum abest, a malitia diabolica, imo eandem fere aequat: ita parem culpam & poenam eundem manere censemus recte.

Adco.

Adeoquē explicatum dedimus, quo sensu pronun-
ciet, & quare pronunciet Christus: quod blasphemia in
Spiritu Sanctum sit irremissibilis.

Discite ex illis, quae proposuimus, Cives, quod
homo, qui non per alia motiva eo perducitur, ut DEO
morem gerat, nec per miracula eo sit adducendus. Ea est
natura mortalium; & eorum quoque, qui Christo nomen
dedere, ut saepe numero conquerantur de mediocri gra-
tiae insufficientia: inprimis, quod non miracula coram in-
tueri, illis datum sit, quae quidem habuerunt isti, qui illo
tempore vixerunt, quo servator & Apostoli ejus inter
mortales degerunt; quae si haberent, protinus se ad me-
liorem frugem redituros esse sibi persuadent; In quo quidem
diviti illi Luc. XVI. similes existunt; qui opinabatur, per
miraculum quoddam id praestari apud fratres facile posse,
quod Moses & Prophetae praestare nequibant. Sed quod
illa vera sint, quae ille responsa accepit; quod opera &
oleum apud illum perditae sint plane, qui iis motivis &
auxiliis, quae habet, nempe, verbo DEI non ad ali-
am mentem perducitur: id, praeter exempla alia Pharaonis
& Aegyptiorum, Israëlitarum in deserto, & aliorum com-
plurium, qui tempore Christi & Apostolorum vixerunt,
qui omnes nube quasi miraculorum obtecti, nihilo tamen
minus non conversi sunt ideo ad DEUM; etiam
exemplum Phariseorum loquitur. Tantum absuit, ut il-
li miraculis, quae frequentissima & maxima coram intue-
bantur, adjuti fuissent: ut potius post illa pejores evase-
rint & obdurati fuerint; ita, ut in illum etiam statum de-
venerint, quo Christus reos illos pronunciaverit peccati,
quod nulla maneret venia. Frustra speratis proinde, quod
alia remedia vestris morbis medicinam sint allatura, post-
quam verbum DEI, Mosen & Prophetas habetis; neque
tamen iisdem ad mentem sanam piamque perducimini.

Ratio

Ratio ejus in promptu est, quando subditorum animus est pie affectus in principem: tum nihil aliud opus est, quam ut edictum regium, manu regia & ejus sigillo munitum ipsi exhibeatur; & ad imperata facienda se protinus paratum praebit. Verum enim vero, quando quis est animo rebelli & refractario; qui secum constituit quidvis facilius quam voluntatem principis exsequi: is nihil curabit nec manum regis nec ejus sigillum.

Agedum! quod edictum regis est: idem est veritas divina promulgata. Et quod sigillum est & regia manus sub eodem: idem sunt miracula, quibus DEUS coelitus comprobatur suam veritatem. Sed, ut homo pius ubique voluntatem DEI exsequitur, modo DEI voluntatem aliquam esse, & sine miraculis intelligat: ita, quando non sumus pie affecti in DEUM, nec facimus ea, quae ex praescripto conscientiae ut DEI voluntatem agnoscimus; nec miracula quoque curabimus, nec iisdem emendabimur.

Qui in casu quodam speciali mandatum & voluntatem DEI ob DEUM exsequi debet: is secum constitutum habeat necesse est, eam exsequi, quandocumque illam intelliget. Scilicet, quando quis imperata a DEO facere debet, tum necesse est, ut hoc syllogismo procedat practico: Quodcumque ut DEI voluntatem agnoscam, illud sum facturus: Quodcumque miraculo coelitus firmatur, hoc non possum non pro DEI voluntate agnoscere. Ergo illud quoque faciam. Quando conclusio sequi debet, non opus est solum, ut determinatum habeamus animum ad firmiter tenendam minorem; sed majorem quoque propositionem. Ast, miraculum in exhibito syllogismo modo valet ad probandam minorem; scilicet, quod opus aliquod sit voluntati divinae conforme: non autem ad propositum in animo gignendum, quod propositione majori exhibetur. Necesse est itaque, ut aliunde & per alia media ante ingereretur

neretur animo propositum, imperata a DEo faciendi; quam miraculum ad opus in particulari suscipiendum, adigere nos possit.

Verum enim vero, in tot aliis casibus jam demonstrat talis, de quo nobis sermo est, sibi nihil minus curae cordique esse, quam exsequi DEI praecepta: quomodo hinc ille miraculo commovebitur? quippe cujus usus in eo est, ut doceat & confirmet, quae DEus fieri velit.

§. X.

Posthaec, cavete, Cives! ne renitami Spiritui Sancto, quoties & quando pulsat cor vestrum: imo cavete, ne negligenter eum, quoties operationes ejus intra praecordia sentitis, tractetis. Ut DEus omnes ac singulos exoptat servari; ut Christus JESUS peccata omnium sanguine suo expunxit, & illis aeternam felicitatem promeruit: Ita Spiritus S. nemini sua gratia suoque deest auxilio.

Verum nostrum est, ut ne susque deque illum habeamus, aut negligenter illum tractemus, ut ne ad iram illum provocemus, aut illum contristemus. Caveamus, autem, ab his eo magis: cum videamus; quo devenire tandem possint, qui operationibus Spiritus Sancti aut obicem ponunt, aut illas negligunt: In indurationem scilicet cordis; in peccatum in Spiritum Sanctum; quod pronunciant Christo nec in praesenti nec in futuro seculo venia manet.

Nec cogitemus, hodie non dari peccatum in Spiritum Sanctum: quoniam non dantur miracula; adeoque hoc fulgur esse quasi ex pelvi. Ponamus; non dari, ut nonnulli volunt, hodie peccata in Spiritum Sanctum: dantur tamen alia peccata eaque non minus mortem aeternam inferentia, quam quidem blasphemia in Spiritum Sanctum. Dantur peccata contra conscientiam; datur judicium indurationis: quibus proxime acceditur ad hoc peccatum gravissimum: & quotae sunt, qui prius praecipites

cipites dati sunt in *averrum*, antequam summum peccati gradum conscenderunt?

Si proinde vel maxime hodie tuti essemus a blasphemia in Spiritum: quid proficeremus, cum per alia tamen peccatorum genera eodem descendere possimus, quo praecipites dat blasphemia in Spiritum?

Verum, demonstravimus, quamvis hodie rara habeamus miracula ejus generis, qualia Pharisei habuerunt olim: habemus tamen verbum DEi, miraculis firmatum; habemus alias operationes non minus conspicuas & illustres Spiritus Sancti, quam quidem miracula; possumus in nobismetipsis experiri, illuminationem, regenerationem, & id genus operationes supernaturales alias: quae non minus convincunt hominem, quam quidem illa. Potest nobis indulgere DEus exempla eorum, ut coram ea intueamur, qui ex tenebris facti sunt lux in Domino, ex mancipiis Satanae servi & servae Jesu Christi; qui, cum antea illos experti simus, se volutantes in coeno peccatorum; ita jam publice demonstrent, quod virtute divina aliam induerint vitam, alios mores, alium animum; idque ita, ut nisi contra conscientiam peccare velimus: non possimus non profiteri, alio plane Spiritu illos, quam quidem antea agi.

Jam, si ideo Pharisei in Spiritum Sanctum ita graviter peccasse a Christo dicuntur: quoniam operationes ejus in ejiciendo daemone ex corpore obsessi calumniis persecuti sunt: Quis negabit & eundem peccare in Spiritum Sanctum & gravissime quidem, qui convitiis lacessit operationes Spiritus Sancti in ejiciendo diabolo; non quidem ex corpore tantum, sed ex animo & corpore simul, quod eo illustrius divinae virtutis specimen est; quo magis cum scopo Christi adventus in mundum, cum scopo principe Spiritus Sancti, cum divino beneplacito de salute generis humani promovenda conspirat; cum quae Spiritus Sanctus alia edidit prodigia, hujus modo consequendi gratia edita fuerint & perpetrata.

Absit itaque, ut ita graviter peccemus in Spiritum Sanctum, ut quae ipse hodie quoque in animis piorum praestat, lacessamus convitiis: Cum audiamus, quam acerrimus DEus hujus generis peccatorum existat vindex. Caveant autem imprimis illi, qui studio Theologiae nomen suum dedere. Pharisei sunt, quos reos pronunciat Christus blasphemiae in Spiritum, qui praeter aliis legebant & tractabant verbum DEi; Certissimo documento, quod nemo facilius

zilius in hanc blasphemiam dari possit praeceptis, quam qui verbum DEI, prae aliis tractandum sibi sumit, neque tamen ei, & operationibus Spiritus Sancti per illud, morem gerit. Saltem, cum innumeris alii temporibus Apostolorum ad fidem fuerint perducti: prodigii instar exhibetur, quando accidit; ut ministri ecclesiae & verbi divini ad eandem quoque accesserint.

S. XI.

Denique ut ne pii animi angantur sollicitudine; utrum forte peccatum in Spiritum Sanctum commiserint, adeoque de conversione & venia desperent: qui inter nostros timetis DEum, haec habete.

1) Equidem nulla ratione negari potest, quod hodie quoque fieri possit, ut non solum peccetur in Spiritum Sanctum, sed illa quoque blasphemia committatur, quam Christus pronunciat veniam non impetraturam. Ast non unus, sed characteres omnes simul sumti illam blasphemiam constituunt.

Sunt e. g. qui blasphemiam in Spiritum S. reputant, quando illis blasphemae cogitationes suboriuntur, quae nonnunquam in verba quoque prorumpunt: de quibus autem non solum dolent, sed conqueruntur etiam omnibusque votis exoptant, ut ex illis liberentur. Verum ut quartus character blasphemiae in Spiritum S. & secundus omnino hic defuit; siquidem hi utilitatis cuiusdam aut auctoritatis sibi conciliandae aut conservandae gratia, has blasphemias non eructant; nec contra scientiam & conscientiam agunt, sed potius patiuntur: ita tantum abest, ut blasphemiae in Spiritum S. rei sint, ut potius tanquam graviter afflicti misericordia digni sint censendi. Quemadmodum homini a Diabolo obsessio id non imputabitur in culpam, quod ab eodem invitus patitur; & quemadmodum virgini, cui vis infertur, DEus ideo nullam poenam decrevit in verbo suo; quin potius illam absolvendam, & eum, qui vim intulit, puniendum pronuntiavit: Ita tantum abest, ut animi pii, qui de illis cogitationibus dolent, conquerantur & anguntur; ideo culpam & poenam sibi contrahant; ut potius Diabolus DEO iustissimam hujus violentiae illatae poenam sit daturus.

Sunt, qui quodvis peccatum contra scientiam & conscientiam blasphemiam in Spiritum S. reputant, & ideo de venia desperare volunt; quantumvis vel maxime de suo peccato doleant. Jam equidem non negandum, quod tale peccatum omnino gravissimum sit, & proximum a peccato in Spiritum S. in scala peccatorum constituat gradum. Hinc vehementissime tale quoque peccatum aut fugien-

fugien-

fugiendam: aut gravissime de eo dolendam, nec quotidiana illa, sed exstantiori & insigni poenitentia dolendum, id quod docemur exemplo Davidis & aliorum. Verum cum ad blasphemiam in Spiritum S. requiratur, non solum, ut contra scientiam peccetur; sed ut operationibus quoque Spiritus Sancti, & quidem non simpliciter renitiamur; sed illas scienter calumniis & convitiis lacessamus; inde patet, quod ideo non statim in Spiritum Sanctum peccetur; quando contra scientiam agimus, ut nulli veniae locus sit. Quemadmodum & exempla adsunt eorum, qui postquam contra scientiam peccaverunt, veniam, post seriam poenitentiam, sunt adepti.

Quae quamvis non ideo dicamus, ut securis animis blandiamur: dicenda tamen sunt eam ob causam, ut ne securos terrendo, illis qui serio dolent, auferatur solatium, quod Christus illis non vult auferendum. Neque enim servator noster, quando de blasphemia in Spiritum Sanctum pronunciat, quod veniae post illam nullus sit locus; sine causa addit praegnante: quod reliqua peccata omnia, seria scilicet interveniente poenitentia, & ipsa etiam blasphemis in Deum & Filium DEI, possint expungi.

Nolite proinde despondere animum, quotquot estis, qui serio doletis de commissis; & eo magis confidite, & veniam vos esse adepturos, & vobis Spiritum Sanctum opem laturum: quo magis ex hoc ipso colligere vobis datum est, quod nondum poeniteat Spiritum Sanctum vobis adesse auxilio; quando vos adhuc poenitet peccatorum; siquidem haec ipsa poenitentia est opus, quod Spiritui Sancto acceptum ex asse est referendum.

Sed, nec securi degatis in hoc mundo, cum vel ex ipso Pharisaeorum exemplo discere possitis, quo devenire possimus, & quam desperata nostra fieri possit causa; cum sciatis: quod, ut Spiritus Sanctus nihil reliqui faciat, vobis suo adesse auxilio; ita etiam Spiritus malignus in id directas habeat cogitationes suas omnes, omnibusque id remis & velis agat, ut pedetentim eo vos perducatur, unde gradus non est revocandus.

Fatigate proinde Summum Numen precibus diurnis nocturnisque, ut vobis Spiritum suum Sanctum aut indulgeat, aut conservet: impendite huic negotio hos dies, festos, imo omnis vestrae vitae; quo ejus auxilio non solum tuti praestemini a Diaboli insidiis, sed iudices quoque evadatis sanctiores, in ipsorum animorum vestrorum salutem, in ecclesiae Christi emolumentum & ornamentum, in gloriam DEI Patris, Filii & Spiritus Sancti:

Cui sit laus in secula seculorum,
A M E N.

52, K 6

1378

